

I. N. D.  
DISSERTATIO POLITICA  
DE  
TERROREGENTIUM  
PANICO,

QUAM

Consensu Amplisf. FACULTATIS Philos. in Regia ad  
AURAM Academia,

SUB

PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS  
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.  
PRO GRADU MAGISTERII

*Publico bonorum examini modeste defert*

CAROLUS ROBERTUS GIERS,

SATACUNDA-FENNO.

IN AUDITORIO MAJORI DIE FEBRUARII  
ANNI MDCCLXIX,

*Horis ante meridiem consuetis.*

---

A B O Æ

Typis JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

S: E R: E M: TIS:  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,

D: NO CAROLO FRID.  
MENNANDER,

S. S. THEOLOG. DOCTORI CELEBERRIMO, DIOECESIS ABO-  
ENSIS EPISCOPO EMINENTISSIMO, REGIÆ ACADEMIÆ PRO-  
CANCELLARIO MAGNIFICENTISSIMO, SUMMI VENERANDI  
CONSISTORII ECCLESIASTICI IDEM PRÆSIDI GRAVISSIMO,  
SCHOLARUMQUE PER DIOECESIN EPHORO LONGE ACCURA-  
TISSIMO, NEC NON REG. ACAD. SCIENT. HOLM. MEMBRO  
DIGNISSIMO,

MÆCENATI MAXIMO.

*I*nter spem metumque, REVERENDISSIME D:NE PRÆSUL &  
PRO-CANCELLARIE, diu incertus hæsi, utrum dis-  
sertationem hanc, nitore omni destitutam & præter mate-  
ria gravitatem nulla re commendabilem, ad limina TUA  
deponere, atque a NOMINIS TUI gloria & splendore, admo-  
dum late coruscante, lucem & dignitatem ipsi mutuari su-  
stinerein. Animum vero propter honoris, in quo constitu-

tus es, eminentiam, sic fluctuantem, erexit & veluti calcare  
eidem addidit favor ille summus & prorsus singularis,  
quo TU, REVERENDISSIME D:NE PRÆSUL & PRO-CAN-  
CELLARIE, omnes clientes Tuos, litterarum imprimis &  
virtutum unice studio litantes, continuo amplecti haud fuisti  
dedignatus. Noli igitur mirari, REVERENDISSIME D:NE  
PRÆSUL ac PRO-CANCELLARIE, sed patiare potius,  
me tenuitatis meæ optime conscium, has pingvi Minerva  
elaboratas pagellas TIBI, in tesseram venerandæ erga TE  
pietatis meæ nunquam intermorituræ, dicere, & pro more  
TUO, miti fronte specimen hæcce levisimum intueri, for-  
tunamque insuper meam TUÆ tutelæ semper commendatam  
habe, id est, quod supplex rogo & cernuus obtestor. Mearum  
vicissim erit partium ad DEUM, Summum omnium rerum  
Arbitrum, suspiria fundere ardentissima pro perenni TUO  
Tuorumque flore & felicitate. Vivas igitur quamdiutis-  
sime Sospes & incolumis, Ecclesiæ columen firmissimum, Pa-  
triciæ ac Rei litterariæ decus & ornamentum longe maximum.  
Vivas Familiæ TUÆ Nobilissimæ fulcrum & solatium tu-  
tissimum; Vivas denique clientum Tuorum patrocinium  
optimum, certissimum. Sic vovet, &, dum vixerit, jugiter  
vovebit

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Cultor Devotissimus  
CAROLUS R. GIERS.

*VIRO Amplissimo atque Consultissimo,*

D: no LAURENTIO SACKLEN,  
Consuli Civitatis Arctopolitanae meritisimo.

*VIRO Plurimum reverendo atque Praeclarissimo,*

D: no Mag. MARTINO TOLPO,  
Ecclesiae, quae in Kiulo congregatur, Pastori dignissimo.

*VIRO Praeclarissimo,*

D: no Mag. FRIDERICO REGINALDO  
BRANDER,

Rectori Schol. Triv. Biörneburgensis dignissimo.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo,*

D: no ANDREÆ FLAMENIO,  
Ecclesiae, quae i Kumo DEo colligitur, Vice Pastori &  
Sacellano vigilantissimo.

*VIRO Spectatae Fidei,*

D: no ERICO JOHANNI LAGERBLAD,  
Commisario ad Legionem Pedestrem Biörneburgensem  
dexterrimo nec non Rationario ibidem h. t. accuratissimo.

FAUTORIBUS, AVUNCULIS, CONSANGVINEO,

**T**ot tantaque sunt illa favoris, benivolentiae nec non  
FAUTORESQUE OPTIMI ET CONSANGVINEI CARISSIMI nullo  
Vestro absque ulla spe inde emergendi reapse me esse  
& deberem, nedum referre queam, ne tamen partibus  
vantiae specimen hoc Academicum Vobis cernuus offero.  
dem favore, quo hactenus gavissus est, in posterum quoque  
calidissimis sollicitabo precibus, velit vos PATRONI, FAUTORES  
multos salvos, sospites & incolumes servare. Vivatis Patriae,  
admodum digni: Vivatis Vestris & aliis quoque quam

NOMINUM

Citens hu-

CAROLUS

*VIRO admodum Reverendo atque Præclarissimo,*

D: no Mag. JOHANNI LAHIANDER,  
Pastori & Præposito Ecclesiarum, quæ in Eura DEO col-  
liguntur, longe dignissimo.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Præclarissimo,*

D: no GABRIELI GOTTLIBEN,  
Ecclesiarum, quæ DEO in Kumo colliguntur, Pastori  
meritissimo.

*VIRO Præclarissimo,*

D: no Mag. JOHANNI PIHLMAN,  
Con-Rectori Schol. Triv. Biörneburgensis accuratissimo.

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo*

D: no JACOBO OLAVO BRANDER,  
Ecclesiarum, quæ DEO in Ulsby convocantur, Vice  
Pastori & Sacellano accuratissimo.

*VIRO Doctissimo atque Clarissimo*

D: no HENRICO BRANDER,  
Collegæ superiori Trivialis Scholæ, quæ Biörneburgi  
flore, dignissimo.

& ADFINI Propensissimis, Carissimis.

amoris plane singularis documenta, quæ Vos, PATRONI  
non tempore mihi præbere voluistis, ut totum in ære  
sentiam. Cum vero nec agere gratias, quantas vellem  
officii penitus defuisse videar, in signum pietatis & obser-  
Suscipite illud serena, qua soletis fronte, Auctoremque eo-  
amplecti haud dedignemini. Ipse vicissim DEUM O. M.  
que PROPENSISSIMI & CONSANGVINEI DILECTISSIMI in annos bene  
Ecclesiæ & ceteris, quæ in republica sustinetis, muneribus  
diutissime felices; sic vovet permanens ad urnam usque

VESTRORUM

millimus.

R. GIERS.

Borgmästaren  
Ådle och Högachtade,  
**Herr ARVID BRANDER,**

Min Högårade käre Morbror;  
Råd- och Handels - Männerna uti Stapel - Staden  
Björneborg:

*Åreborne och Högvälaktade,*  
Herr OTTO JULIUS BRANDER,  
Herr HENRIC BACKMAN,  
Herr CARL INDEBETOU,  
Herr ISAAC BÄCKMAN,  
Herr FRIDRIC CLOUBERG,  
Herr FRIDRIC AHLQUIST,  
Herr HENRIC JOHAN MOLIS;  
Gunstige Gynnare och Min käre Cousin.

**S**å ärbar och nödvändig sak det är i et Borgerligt samhälle, at med taksamhet ihogkomma och bemöta åtnjuten ynnest och bevågenhet; så kårt och angenämt är det ock för mig, at vid detta tillfälle kunna lemna något vedermåle af min erkånsla för de många välgärningar, I, Min Herr Morbror, Gunstige Gynnare och Min käre Cousin, mig och min Faders hus benågit täckts bevisa. Tillåten då, at detta Academiska arbete, som Eder i ödmjukhet upoffras, må blifva en tålk af den vördnad jag beständigt för Eder hyser. Lycklig jag, om jag framdeles får åga lika bevågenhet, som jag hitintills af Eder i ymnig måtto åtnjutit. Då skal det vara mig en glad skyldighet, at anropa den Högste GUDEN för Eder välgång, samt med beständig tilgitvenhet och högaktning förblifva

Min Högårade Herr Morbrors, Gunstige Gynnares och  
Min käre Cousins

ödmjuka tjener

CAROLUS R. GIERS



## §. I.

**Q**ui indolem ingenii humani attente consideraverit, haud difficulter concedet, animum nostrum haud dissimilem esse Oceano. Sicut enim hic modo placide ita consistit, ut ne plumulam quidem levissimam excutiat, modo autem, laxatis ventorum frenis, adeo aestuat, ut caelo terram misceat, nec gubernatores navium illa adspiciant indicia, quorum ope se tempestatibus subducere & portum intrare possent; ita quoque anima nostra jam grata agit halcyonia, atque in placido statu tantum non ovat; jam iterum, aestuantibus praecipue adfectibus, corpus rationis dedignatur imperium, &, quo illi sollicitant, non tam movetur, quam praecipitanter ruit. In horrido hocce statu homines, fascino quasi capti, limites officiorum admodum transgrediuntur, & alia quavis agunt, quam agere deberent. Quamobrem etiam *QUINTILLIANUS* merito dixit: *Quod magni adfectus iura non spectent.* Inter adfectus autem nullus fere est, qui usum rationis magis sequestrat, quam metus; quippe qui intellectus iudicium velut obnubilat, & animi vigorem vehementer profligat. Non equidem diffitemur, quin homines multis laborent infirmitatibus, DEUS tamen, quae summa Ejus est in genus nostrum bonitas, varia nobis adminicula, imprimis perspicax ingenium atque agile corpus concessit, quae si suis rite perfungantur partibus, incommoda multa partim repellere, partim etiam eludere possumus. Enimvero multi adeo sunt vecordes, ut, malis imminentibus, secum confestim actum conclamatumque putent; quare spem ex illis dextre emergendi abjiciunt: non dissimiles proinde illis aviculis, quae in arboribus confidentes & ingentium

serpentum hiantes fauces videntes potius in has voragineſe ſeſe præcipitant, quam expeditum iter per liquida æris capeſſant. Hoc præcipue tum mortalibus evenire animadvertimus, quoties præcordia ipſorum vehementi quodam *Metu*, quem *Terrorem* appellamus, percelluntur. Hinc *Terrorem* definire ſolent Philoſophi, quod ſit *vehementius tædium, ex malo improvifo ortum*. Et ab hoc terrore diſtingunt nonnulli *Pavorem*; quippe qui ſit *inferior terroris gradus*. Per terrorem, ubi ille microcoſmo incubuerit, obſtupeſcit animus, & deliquium quali patitur, adeo ut ſuum nobis detrectet officium: ſanguis, in cujus juſta circulatione vita noſtra conſiſtit, veluti coagulatur in venis & arteriis, unde pallor in facie, & denique membra contremiſcunt, quali conſiſtentiam omnem amiſerint. Sed metuimus, ne ſi de indole metus plura diſſeramus, in juſtam cenſuram incurramus, quare cetera verba, quæ in frontiſpicio occurrunt, enucleare conabimur.

## §. II.

Sicut Gentiles, avitis faſcinati ſuperſtitionibus, rebus tantum non omnibus, quas ob præſtantiam & utilitatem magnificerunt, diuinitatem quandam tribuerunt, quæ ipſis regendis & tutandis præſeſt; ita non eſt mirandum, quod ſylvis & nemoribus præfecerint Numen tutelare, quod tam pecorum, quam eorundem cuſtodum curam ageret. Talis fingebatur eſſe Pan, qui licet paſtoſtores imprimis ſuo dignaretur præſidio, juxta illud Poëtæ: *Pan curat oves, oviumque magiſtros*, in ſylvis quoque otari credebatur. Cultum hujus Divi primum inſtituiſſe videntur Ægyptii, qui Pana inter octo majores Deos, quos coluerant, retulerunt, a quibus Genii hujus

ſacræ



sacra ad alias aliasque gentes fuerunt propagata. Sive autem formam Panis consideremus, sive etiam res gestas, quas ipsi adfinxit credula antiquitas, expendamus, multa, quæ horrorem incutiant, nihil quod venerationem excitet, reperimus. Finge enim tibi, si ipsum cognoscere velis, monstrum quoddam villis obsitum, cornuta fronte, pinu coronatum, caprinis insuper pedibus & hircina cauda instructum; & imaginem Panis sic adumbratam habebis. Ut corpus plerumque animi est index, ita quod ab hoc semifero homine expectandum esset, facile perspicitur. Etenim feroci, quo fuit animo, Pan nulla non vitia sibi permisit, atque ut votorum impudicorum compos redderetur, adinstar Protei cujusdam varias induit formas; immo quum ridens hic DEUS non omnibus arrideret, quas blande seducere non potuit, vi opprimere nullus dubitavit. Cum igitur simplex atque imbellis turba hominum in densis sylvis oberraret, cumque, vesperscente imprimis cælo, imaginatio in crepusculis, nullis occupata objectis visibilibus, fortius vim suam exfereret, facile in horrorem & terrorem quendam incidit; cujus causam quum indagare non posset, protinus sibi persuasit, Pana, fœdum illud Numen, adesse, cujus non solum occursum, ob speciei deformitatem, metuerunt homines supersticiosi, sed flagitiosum sodalitium exhorruerunt. Hinc Pana terrores repentinos mortalibus immittere credidit antiquitas. Exinde *TERROR PANICUS* (\*) dici suevit vehemens ac subitaneus metus, cujus causa liquida non constaret. Mox vero ostendemus, tum genuinam hujus terroris originem, tum etiam quod integras gentes nonnunquam ita adfecerit, ut sui quam maxime dissimiles fuerint, illo præcipue temporis articulo, quo constantiam & fortitudinem ab illis expectare par omnino fuit. Interea

vero dum huic immoramur operi, mitiorem tuam B. L. nobis expetimus censuram, ne terrore Panico forsitan tacti, sine nostro excidamus, nec tuo satisfaciamus desiderio.

( ) *Polyæn. Stratag. Libr. 1. Cap. 2.* „ Bacchi Dux fuit Pan. Is primum invenit aciem, phalangem nominavit, cornu instituit dextrum & sinistrum. Hac de causa ferentem cornua Pana fingunt. Sed primus etiam hic eadem hostibus per solertiam & artem immisit. Quum Baccho in concavo saltu nunciassent speculatores, infinitas hostium copias in ulteriori parte castra metari; metus Bacchum incessit, non item vero Pana; sed noctu Bacchico exercitui signum dedit, ut maximum & inconditum clamorem tolleret. His vero clamantibus, petra sonum acceptum referebant, & cavitas saltus longe majorem copiarum fremitum reddebat. Quare metu perterriti se in fugam conjecerunt. Cum igitur Pan hoc stratagema usurparit, Echo Pani gratam & amicam esse fingimus, atque vanos nocturnosque terrores exercituum Panicos appellamus. „ Hæc POLYÆNUS.

§. III.

Referat quis, grandi ac forti turgens spiritu, originem terroris Panici, qui vel integras gentes, vel singulas personas nonnunquam adfligit, sive ad positionem vel influxum siderum, sive ad alias quasdam causas Physicas; nos horum conatus non argumenta sed commenta judicamus, digna, quæ in desertam quandam insulam transferantur, & cordatorum hominum conspectui subducantur. Ab alio principio hanc mutationem esse repetendam censemus, & sicut admirandam Summi Numinis gubernationem, cujus modum ne acutissimum quidem unquam rite adsequi potest ingenium, cernui veneramur;

heramur; ita etiam ipsum esse DEum arbitramur, qui tantum terrorem ex justissimo judicio mortalibus immittat, dum vel peccatis suis illum graviter offenderunt, vel secundæ fortunæ aura inflati gloriam, quam ipsi debent, sibi solis arrogare nituntur. Patet sententiæ nostræ ratio imprimis ex amplitudine terroris Panici, qui integras hominum cohortes, ceu diximus, afficit, adeo ut quemadmodum corda tensa motum futurum tremulum ceteris vicinis fidibus, licet ipsas non tangat, communicat, ut singulæ harmonice contremiscant; ita quoque, incumbente terrore Panico, ne fortissimus quidem Hector a gregario milite distingui potest. Stipes igitur sit oportet, qui heic digitum Domini non agnoscat. Constat idem quoque ex magnitudine terroris hujus; quippe qui usum prudentiæ & fortitudinis e vestigio sufflamminat. Scilicet immittit justissimus Dominus hominibus varias calamitates, ut intra officiorum gyrum ipsos reducat, sed quum illi, quæ, multorum est levitas ingenii, hinc non moratiores sed sæpe asperiores & ferociores euadant, quamdiu animi vigor & corporis vires sufficiunt; igitur manum suam his contumacibus quasi subducit, qui tunc sentientes quam parum a nihilo absint, animum despondent, metusque præcordia ipsorum occupat, adeo ut non dissimiles sint velis, quæ, silentibus ventis, flaccida pendent. Valet igitur heic effatum Poætæ: *Ludit in humanis Divina potentia rebus*. Denique quum ipse in Scriptura S. se salutari voluerit *Dominus exercituum*, hoc ipso luculenter significat, quod ipse sit, qui alteri aciei, quantumvis exiguæ, alacritatem & vigorem largitur, alteram autem ob æquissimas rationes ita percellit, ut, priusquam alea jacta sit, fugam meditetur, nec illustrem gloriam, sed obscuras quærat latebras. Enimvero dicat

forte quispiam, quod animus cujuslibet in dubiis hisce casibus sinistri quid præfagiat. Sed dic, sodes, qui id fieri possit, cum res omnes circumstantes lætissima præbere videantur auguria? Et quomodo hinc ingravescens metus ad omnes cives, quorum diversissima est indoles, sese subito & priusquam alter alterius dolorem persentiscere videtur, extendat? Fateamur itaque ingenue, quod nodum in scirpo quærant, quotquot in explicanda terroris Panici origine ab admiranda DEi gubernatione penitus secedant.

§. IV.

Altioris esse indaginis illam Philosophiam, qui originem terroris Panici distincte adeo explicet, ut rigorem demonstrationis concatenatæ sustinere queant argumenta, non diffitemur; attamen si quis testem sententiæ, a nobis in §. antecedente allatæ, desideret, mox producemus omni exceptione majorem, DEUM ipsum, qui nec fallere potest, nec falli. In pluribus autem Scripturæ S. Locis *Dominus exercituum* gravissime minitur, quod terrore confunderet tam alias gentes, quam Israëlitas, dilectum licet suum peculium, si mandata ipsius transgrederentur. Hinc MOSES in concione sua Cygnæ prædixit Israëlitis, quod si præceptis Divinis morem non gererent, *foris gladius ipsos vastaret & intus pavor*. Et paullo post ipsis perfrictæ frontis minitur, quod terrore Panico ita percellerentur, *ut unus hostium mille ipsorum persequeretur & duo fugarent decem millia*; causam hanc interferens, quod *DEus, Petra ipsorum, eos tradidisset*. Deut. XXXII. 25: 30. Æque graves minæ occurrunt Levit. XXVI. 36. *Faciam illis, inquit Dominus, cor pavidum in terra illa, ad quam ab hostibus sunt abducti, adeo ut susurru foliorum percellentur & propter il-*  
lum

lum fugient, quasi quis stricto ipsis persequeretur gladio, & cumulatim cadent, quamvis nemo illos insequatur. Quum itaque DEUS justissimus hoc modo adflixerit nonnunquam Israëlitas, quos tamen in liberos suos adoptaverat, quisque facillime concludere potest, quod non minorem justitiæ ipsius rigorem expertæ sint aliæ gentes, quæ præceptis Divinis temere sunt tergiversatæ. Enimvero antequam sacros fontes, ex quibus nostra hactenus arva irrigavimus, linquimus, juvat adhuc unum alterumve dictum in robur sententiæ nostræ adducere: Psalm LXXVI. *Terribilis est Dominus, qui confringit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum. Dum increpat DEUS Jacobi, currus & equus, velut alto sopore confecti, procumbunt. Quando Dominus judicia sua e coelo pronuntiat, ipsa obstupescit tellus & quasi attonita in eodem consistit loco. Ipse est, qui aufert spiritum Principum & terribilis est inter Reges terræ.* Ex quibus & pluribus aliis dictis, quæ sicco jam præterimus pede, dilucide constat, quod coeli terræque Monarcha rebelles cives puniturus, immittat illis gravissimos terrores, atque ita & fortissimos & prudentissimos celeriter confundat.

§. V.

Sicut Divinis tam promissis quam minis exactissima constat veritas; ita quoque Historia sacra adfatim docet, quod Israëlitæ vehementi metu perculsi, terga hostibus præter omnium opinionem & spem vertere subinde coacti fuerint, dum in odium ejus suis incurrisent malefactis. Sic dum JOSUA in Palæstinam pervenisset, misit quosdam, qui urbis, *Ai* dictæ, situm & munimenta explorarent. Hi paullo post in castra sua reversi, in medium consuluerunt, quod non totus exercitus sese illuc conferret, sed quod tria millia militum admodum suffi-

fufficerent huic oppido expugnando. Habita est illis fides, missaque sunt tria millia virorum, qui vero impetum oppidanorum non sustinuerunt, sed, laxatis equorum frenis, in fugam sese præcipites coniecerunt, ne resistere quidem audentes hostibus, qui vecordibus illis insultabant. Quæ, quæso, causâ tanti terroris & inde secutæ fugæ? DEUS ipse testatur, quod Israëlita non possent sustinere adspectum hostium suorum, quoniam manum suam ob delicta ipsorum illis subtraxisset. Hoc quoque comprobavit exitus; postquam enim Israëlita commissum flagitium expiassent, & in gratiam cum DEO rediissent, urbem modo dictam celeriter expugnarunt: *JOSUÆ VII & VIII.* Enimvero sicut Pater, quæ ipsius est indulgentia, parcius suos castigat liberos; ita quoque DEUS erga Israëlitas mitius se gessit, etiam quum indignationem suam provocassent: quare licet peccata ipsorum eis non indulserit, rarius tamen terrorem Panicum, sed alia pœnarum genera, quæ ipsius sapientiæ convenerunt, illis immisit. Contra ea hoc terrore imprimis adfecti sunt hostes Israëlitarum, cujus rei unicum tantummodo adducam exemplum. Israëlitas ad incitas usque redegissent Philistæi, adeo ut arma quoque & quævis ex ferro confecta instrumenta ipsis eripuissent; sed quum adhuc internecionem populi DEI meditarentur Philistæi, ingentem contraxerunt exercitum, exhaustam hanc gentem uno impetu oppressuri. Copiis vero e regione constitutis, Sauli filius, *JONATANUS*, adsumto in societatem suo armigero, vesperascente coelo ad castra Philistæorum transiit, &, prostratis primis, qui ipsis obviam fuerunt, ab his duumviris, DEO speciali ratione ipsis favente, tantus terror excitatus fuit, ut non solum exercitus Philistæorum in fugam se protinus coniceret, sed etiam populi vicini fugam capescerent &

tota circumjacens terra admodum contremisceret. 1. *Sam. XIV.* Quæ, quæso, ratio sive Physica sive Politica satis idonea est tantæ & tam insperatæ rerum conversioni explicandæ? Quis adeo obesæ naris, ut exferretur Domini digitum in his casibus non agnosceret?

§ VI.

Antequam Historiæ profanæ monimenta excutiamus atque ex illa exempla quædam terroris Panici in illustrationem præsentis argumenti desumamus, a proposito nostro forte non erit alienum, paucis inquirere: cur frequentiora hujus terroris vestigia apud Gentiles occurrant, quam apud populos, vera DEÏ cognitione imbutos. Fruitur itaque animus, quem nulli conscientiæ morsus propter commissa peccata exagitant, sed qui in sinu benignitatis Divinæ blande otatur, tam aliis commodis, quam eximia tranquillitate, adeo ut nullis fortunæ procellis, quantumvis licet improvisis, sese admodum commoveri patiat. Clypeo enim Divinæ Providentiæ tectus stabit instar excelsæ rupis, in medio maris, altissimis defixæ radicibus, cujus summa fluctus non attingunt, infima sic verberant, non ut frangant, sed ut ipsi frangantur. Quin ut generosiores feræ ad canum latratum lente respiciunt ac plurimum nec ad spectu dignantur; ita mens DEO confisa est invicta atque interrita, *Nec si terra mari miscbitur, & mare celo*  
 - - pedem referet. Contra ea si malefana superstitio veram pietatem animis mortalium excusserit, tum ipsi robur illud desiderant, quod a DEO provenit, & glaucomate velut oculis objecto, vel ea se videre ac sentire fingunt, quæ tamen nec vident nec sentiunt, vel plura nonnunquam animadvertunt, quam quæ ipsis revera

obuerfantur. Hinc animi levitas criticur, qua fit, ut homines velut folia ventilatione exigua agitentur, & quum gravissima quævis pericula sibi ominentur, animum præter omnium spem & opinionem despondeant, nec secum ipsis habitare satis videantur. Dum vero animus sibi non sufficit, facies expalescit, præcordia palpitant, & homines terrore ita percelluntur, ut & consilium & vires subito ipsos deficient. Quare superstitionem, quæ gentiliam fascinat animos, causam esse merito concludimus, cur ipsos sapius terrore Panico agitados fuisse doceant Historiæ.

### §. VII.

Quod si Historiæ Profanæ campum nunc ingrediamur, cum alias multas ibidem reperimus præstigias, tum imprimis terroris Panici varia argumenta. Ne autem vel nodum in scirpo quæramus, vel multitudine exemplorum confundamur, ex ampla horum messe specilegium quoddam in medium nunc proferemus. Quum igitur ALEXANDER, fortissimus ille Macedonum Rex, multas res contra DARIUM CODOMANNUM, Persarum Regem, feliciter gessisset, & spes haud dubia ipsi adfulgeret, quod vastum hoc imperium in suam redigeret potestatem; attamen cum horum Principum exercitus nunc appropinquarent, & decretoria pugna ad Arbelas instaret, totum ALEXANDRI exercitum pavor, cujus causâ non suberat, subito invasit, adeo ut milites lymphati trepidare coeperint, omnium pectora occulto metu percurrente; sicut memoriæ prodit CURTIUS (a). Quid? Quod non comperta pro visis habuerint, varia sibi tam in cœlo quam in terra imaginarentur spectacula & portenta, sinistri quid indicantia & quorum horrorem incuba nox augebat. Nec ipse ALEXANDER, quan-



quantumvis ferox, ab hac contagione fuit immunis, quare hac occasione immolavit clanculum victimas Φοβος seu *Timori*, quem malecredula antiquitas ut DEum venerata fuit. Dicat autem forte quispiam, haud esse mirandum, si Macedones ingenti terrore fuerint perculsi, visa & æstimata vegrandi Persarum multitudine præ sua paucitate. Verum numerus tantummodo erat, & ingentes Darii exercitus impedimenta potius, quam victoriarum instrumenta fuerunt; quod variorum præliorum experientia Macedonas satis docuerat. Immo MAZÆI constitit exemplo, quod Persæ ne quidem extra aciem adspectum Macedonum satis constanter sustinerent: quare prædictum terrorem ad Panicum merito referimus.

---

(a) *Vid Libr. IV. Cap. 12. v. 14.*

### §. VIII.

Luculentius adhuc & stupendum fere terroris Panici exemplum nobis subministrat exercituum Romanorum Dux POMPEJUS in pugna Pharsálica. Videamus autem tum quid proxime præcesserit hoc prælium, tum quid in ipso certamine acciderit. Scilicet Pompejus gravi prælio fugaverat Cæsarem ad Dyrrachium: duobus eisdemque instructissimis exercitibus jam erat stipatus: classis imprimis ejus ferme invincibilis habebatur: exercitus terrestris tam multitudine quam delectu militum longe superabat copias Cæsaris. Pompeji enim castra sequebantur septem mille equites & quadraginta quinque millia peditum; Cæsar mille admodum equites & viginti duo millia peditum in aciem producere potuit. Pompejus omnium rerum copia abundabat, ipsi fauebant tam Senatus Romanus, quam potior civium suorum pars;

quare etiam Prætorium Pompeji dictum fuit *Senatus*: Cæsar vix tantum quotidie ab hostibus extorquere potuit, quantum ad vitam sustentandam requirebatur; præterea amici ejus ipsum sensim deseruerunt, & ad Pompejum sese contulerunt. Nihilo tamen minus in campis Pharsalicis victus fuit Pompejus, & ne quid dissimulem, adeo turpi ratione, ut si comparemus ea, quæ fecit; cum illis quæ hac occasione facere desuisset, cum illis quæ in ejusmodi casibus facere soleant cordati imperatores, & denique cum illis, quæ in crisi non admodum dissimili ipse egisset, Pompejum minime dignoscimus, sed in Pompejo magnum quærimus Pompejum. Dic enim, sodes, an fortitudini magni illius Pompeji conveniebat, quam primum in initio pugnae audierat, cohortes quasdam suas impetum hostium non sustinere, ipsum aciem & omnia pugnae reparandae adminicula, quæ certe habuit amplissima, confestim deserere, quasi jamdudum cum toto exercitu actum conclamatumque esset, suum tentorium præpropere repetere, ibique tamquam deliquium animi passus & fulmine tactus fuisset, decussatis brachiis immobilem sedere. Qui lupi hoc die priores viderunt Pompejum? unde tantus terror, qui præcordia ejus occupavit, dum omnia adhuc certam victoriam portendere videbantur? Quare animum despondet ad primum quasi armorum fragorem? Cur non suo exemplo, suis rebus gestis hinc excitat ferocissimos milites, inde revocat dilapsas cohortes? Scilicet non amplius est ipse ille Pompejus, qui vincti quatuor annos natus Domitium superavit, & viginti millia militum ejus ancipiti prælio prostravit: qui spatio quadraginta dierum totam ferme Africam in potestatem Romanorum redegit: qui Mithridatem & Tigranem, illos orbis terrores, feliciter profligavit: denique non est ille

ille ipse Dux, cujus sub auspiciis Romani non tam ad prælium, quam ad certam ducebantur victoriam: mutatus subito est in hominem vecordem, timidum, flux, exercitus & totius reipublicæ salutis incurium, qui ingratiis & ominibus & legionibus fugam maximo cum dedecore capescere non dubitat. Quocirca bene ex nostra quidem sententia ratiocinatur *L'Esprit FLECHIER*: *Le changement soudain de Pompée nous force de nous élever plus haut, & nous fait comprendre que la frayeur qui saisit son cœur, où la crainte n' étoit jamais entrée, étoit une frayeur Divine; que c' étoit un coup de la main du Très-Haut, qui en fait de semblables de tems en tems pour apprendre aux grands Capitaines & aux admirateurs aveugles de leurs exploits, qu' ils ne sont heureux & ne gagnent les combats que par les conseils & le courage, qu' il leur inspire, que tenant leurs cœurs dans ses mains, il leur ôte la résolution & la force quand il lui plaît; que pour les détruire & les livrer à leurs ennemis, il n' a qu' à retirer sa main; que la valeur, la puissance & l' industrie des hommes tombent d' elle-mêmes aussitôt qu' elles n' en sont plus soutenues (a).*

---

(a) Vid. *La fausseté des vertus humaines Tom I. pag. 28 & 29.*

§. IX.

Ad terrorem Panicum illos quoque referimus casus, dum natio quædam aliis populis tantam tribuit potentiam, de se ipsa autem adeo abjecte sentit, ut, nullo facto virium aut industriæ experimento, palmam his sponte sua reddat, adeoque ne lacertos quidem contra hos movere audeat. Sic tantam olim fortitudinis Lacedæmoniorum opinionem conceperant tam alii, quam

imprimis Bœotii, ut Epaminondas fateatur, quod ante se imperatorem nemo Bœotiorum hostes suos, Lacedæmonios, in acie adspicere fuerit ausus. Quocirca credit nonnulli, tantum & adeo constantem fulgorem in oculis Spartanorum rutilasse, ut eundem acie constante sustinere non potuerint Bœotii. Pro quo autem nos existimamus, Lacedæmonios sua disciplina & continua victoriarum serie tantum terrorem vicinis populis iniecit, ut hi cum illis in prælii aleam descendere exhoruerint. Constat quoque solo magni cujusdam Herois aut celebris Legionis nomine multos adeo fuisse terrefactos, ut, ipso appropinquante, fugam meditati fuerint. Hinc CURTIUS testatur (a): *ALEXANDRI nomen & famam maximum in bello fuisse momentum, pauidosque in fugam convertisse.* Luculentum admodum hujus rei exemplum, & ab adulationis specie alienum nobis subministrat recentior Historia. Quum enim classis Confœderatorum An. 1707 subito oppugnasset Portum Teloniensem, Rex Galliæ LUDOVICUS XIV, in angustiis constitutus, sollicitavit opem Suethiæ Regis CAROLI XII., qui tunc in Saxonia cum exercitu commemorabatur. Respondit autem Mars ille Gothicus, se ingenti locorum distantia prohiberi, quominus desideratas suppetias ferre posset. Verum non his rationibus acquievit Gallus, sed missis iterum legatis promptum Regis nostri auxilium petiit. Promisit igitur Carolus, se suis partibus non defuturum. Confestim itaque litteras misit imperatori, gravissime minatus, se in terras ejus hereditarias propediem irruptionem facturum, nisi obsidionem Portus Teloniensis solvendam curaret. His terroribus motus imperator, noluit fulmen illud belli, quid stricto gladio efficere posset, experiri, sed morem ipsi gessit, atque classem, infectis rebus, domum revocavit (b).

(a) Vid. *Libr. Cap. XIII. §. 14.* (b) Vid. *L. Historie Politique du Siècle Tom I.*

§. X.

Verum terror ille Panicus non solum occupat interdum exercitus, sed integras quoque respublicas ita adfcit, ut sibi prorsus dissimiles videantur cives. Non male enim Politici comparant periodos imperiorum cum hominis aetatibus. Nolo exactam inter has contentionem instituire, sed paucis tantum observo, quod sicut juventutis magna esse soleat fiducia virium, adeo ut impedimenta, moliminibus suis objecta, mascule perumpat, & pericula alte fastidiat, quamvis plenum robur nondum sit consecuta; ingravescens autem senectus cum paribus viribus & majori prudentia est subtimida & egregii fere nihil perficere potest; ita quoque in rerum publicarum & imperiorum juvenia omnes fervent studio Patriæ gloriam & vires augendi, omniaque molimina ad laudabilem ab exteris independentiam tendunt; ubi autem hæc ferocitas deserbuit, quamvis opulencia civitatis forte increverit, torpescit & ad exiguam jacturam sæpe graviter percellitur. Considera, quæso, diversam Carthaginensium & Romanorum conditionem circa primum bellum Punicum. Illi certe tantum & terra & mari tunc valuerunt, ut maturitatem virilis ætatis fuerint consecuti; hi autem florem juventutis jam attingere videbantur. Attamen quamvis variis cladibus fracti essent Romani, non tamen cristas deposuerunt, sed sua alacritate eo rem deduxerunt, ut suam hi potentiam felicius extenderint, quam illi suam defenderint. Quid? Quod cum ATTILIUS REGULUS in Africam descendisset, licet non ultra quatuordecim millia militum ipsi a Senatu relinquerentur, ita tamen hoc manipulo

terrui

terruit potentissimam Carthaginem, ut ipsam in potestatem Romanorum rede-gisset, nisi Carthaginiensibus, ultra quam par erat, terrefactis auxilio opportune venisset XANTHIPPIUS Lacedæmonius, & integram belli scenam suis cohortibus suaque prudentia mutasset.

Enimvero ut hic subsistamus, jubent tenues, quales nostræ sunt, facultates; Tu vero B. L. si commodum fuerit, allata ruminare momenta, Tibique sit persuasum, quod non

- - - - *Hæc sine Numine Divum*  
*Eveniant.* - - - -

